

quam gratius adridet, nusquam adest præsentius quam in divinis illis et a se nobis e caelo delatis literis. Quibus plusquam blasphemis blasphemis sufferendis christianum meum pectus par esse non poterat, imo nec debebat. Christianam modestiam simul ac tolerantiam tantisper præstiti, dum spes erat, ut pedetentim illos lucrifacere possem Christo, unde et ipse, proprie licet libertatis non ignarus, istorum causa legis iugo haud illubenter colla submisi optans etiam cum Paulo anathema fieri pro fratribus meis. Verum ubi spem meam sua pertinacia quotidie eluderent (ut est præfractum hoc hominum genus et suæ superstitionis tenacissimum) et operam et impensam meam perditam viderem, satius esse duxi vel uni mihi consulere quam moras apud illos nectentem una cum illis (periculum enim erat) involvi. Discessi proinde Christi consilium sequutus, qui et ipse discedere iubebat discipulis ex ea civitate, quæ verbum suum non recepisset. Porro, quibus fretus auxiliis quibusque conditionibus exierim, longior est tragœdia, quam ut nunc scribi possit, quanquam nihil prorsus scribere oportebat, quando futurum spero idque brevi, ut te coram et alloqui et amplecti liceat; sed negligere tamen nolui oblatam mihi per Franciscum nostrum<sup>1)</sup> ad te scribendi occasionem, cuius viri quanta sit eruditio, quanta humanitas, unius horulæ convictu leonem unguibus æstimans conicere potui. Vale longævus et felicissimus in Christo Ihesuh, qui te evangelico negotio promovendo quam diutissime servet incolumem; quid enim parturias, passim iactitant rumusculi, nosque, ne subventanea sint, deum optimum maximum ardentibus votis assidue precamur. Georgium<sup>2)</sup> tuum modis omnibus salvum cupio. Zwinglium meo nomine adcuratissime salutabis, in cuius viri amicitiam tua opera (quando nihil non potes apud illum) insinuari cupio. Ex Constantia nostra VIII. calendas Augusti.

Ambrosius Blaurer tuus.

### 43. Ambrosius Blaurer an Thomas Blaurer.

Constanz 1522 August 6.

[Er bittet, die Mutter zu bestimmen, daß sie ihn nach Wittenberg gehen lasse. Johannes Wanner, der verreist ist, um Frundsberg zu begrüßen, übt Einfluß auf den Bischof. Dessen Verhalten gegenüber dem Ulmer Kaplan Idelhauser. Blaurer sendet ein Bruchstück aus einem Brief Luthers über Erasmus, und läßt Luther warnen. Grüße. Luthers Schrift an die Bischöfe. Antonius Pirata.]

S. De caussa nostra, mi frater, nuperrime ad te scripsi, quanquam non satis diligenter; verum indicavit nunc germana soror se illas etiam

<sup>1)</sup> Franz Zingg, Kaplan Geroldsecks, s. Stähelin, Zwingli I, S. 93.

<sup>2)</sup> Unbekannte Persönlichkeit.

litteras ad te mississe, quas matri ex Alpersbaccho scripseram, nec dubito, quin illas nunc acceperis. Hoc solum abs te impetratum cupio, quod etiam proximo epistolio cupiebam, ut matri scribas, ne me diutius hic agere patiat, ubi nullo vel aliorum vel meo sum bono, sed ad te quamprimum abire iubeat, id quod ego vehementius illi persuadere non audeo haud ignorans, quam sit querula quanque suam nobis quotidie inculcet tenuitatem. Verum ego nullo prorsus luxu, nullo splendore victurus sum tecum, sed, quod me decet, christianam per omnia præstabo frugalitatem. Ages igitur hoc negotium fraterna fide apud illam; nihil enim est, quod non possit tua persuasio. Quod per hunc tabellionem multas aliis, nullas mihi literas miseris, nolo expostulare, quando nec superioribus illis, quas multas sane et longas misisti (qui meus est torpor) respondi. Concionator noster<sup>1)</sup> nuper abiit Georgium Fronspergium<sup>2)</sup>, præfectum militum Cæsaris, salutaturus; redibit brevi. Epistolam tuam scio quam arcte sit amplexurus. Vir est satis eruditus, quanquam sero veram illam et defecatam theologiam attigit; sed nunc, quanto serius, tanto vehementius in illam incumbit. Magno est et infracto spiritu, quippe qui præsul nostro non semel in faciem restitit, cum modestia tamen, unde etiam plurimum apud illum potest; audit enim haud secus atque Ioannem Herodes et audito illo multa facit. Nihil (quod ipse nosti) ex suo pectore sapit episcopus, sed totus pendet ex aliis. Nuper concionator Ulmensis<sup>3)</sup> in publico consistorio coactus est recantare articulos aliquot, quos ad populum declamaverat, sacramento adactus, ut idem faceret in populi frequentia Ulmæ. Porro noster ille evangelus antistitem adiit descriptos habens articulos istos omneis, quos explicans et enarrans publica disputatione singulos se defensurum sanctissime recepit, quocirca præsul misso protinus nuncio Ulmam versus cavit, ne palinodiam ille caneret. Sunt hic doctorculi quidam, qui plurimum sibi sapere videntur ut Moserus<sup>4)</sup> et Rotenbergius<sup>5)</sup> etc., qui non credas quanta autoritate quamque impia audacia Lutherum explodere conentur. Articulos<sup>6)</sup> nunc tibi descripsi; christiani sunt, etsi

<sup>1)</sup> Dr. Johannes Wanner (Vannius) von Kaufbeuren, 1521 als Nachfolger des Domherrn Macarius Leopardi (s. S. 2, Anm. 4) gewählt, schon bei seiner Wahl als Lutheraner verdächtigt.

<sup>2)</sup> Georg von Frundsberg, der bekannte Feldhauptmann, der im April des Jahres die Eidgenossen bei Bicocca geschlagen hatte.

<sup>3)</sup> Magister Martin Idelhauser, Kaplan in Ulm, vgl. Keim, die Reform. d. Reichsstadt Ulm, S. 41 ff., wonach der Bischof auf den öffentlichen Widerruf doch verzichtete, weil er von gefährlicher Erregung in Ulm unterrichtet wurde.

<sup>4)</sup> Ein Dr. Moser, bischöflich konstanzer Rat wird in der Konstanzer Bistumschronik von Schulthaiß 1496 genannt, s. Freib. Diöz. Arch. 8 (1874), S. 77.

<sup>5)</sup> Über ihn scheint Näheres nicht bekannt zu sein.

<sup>6)</sup> Die von Idelhauser aufgestellten Artikel.

tertius potest calumniari. Iactitant rumusculi Erasmus bene sentire de Lutero ac impense viro favere, quanquam nolit palam in illius sententiam discedere veritus nonihil episcopos suos. Deus bone, quid non possent Erasmus et Lutherus, si inter eos conveniret, si uno ore Christi evangelium docerent! Male me habet, quod sunt atri nonnulli homunciones, inimici pacis Christi, qui summos istos viros non sine maxima totius christiane reipublicæ iactura comittere student. Frater D. Heinrici Echingeri<sup>1)</sup> fragmentum nuper misit epistolę Luteri ad quendam Lypsicum<sup>2)</sup> per omnia sacra illum obtestans, ut acceptum protinus exhiberet Erasmo, quem tum apud nos esse arbitrabatur; at vero, cum legissemus, intellectis insidiis persuasimus homini, ne tam atrox facinus designaret, sed frustulatum potius discerperet aut certe comitteret Vulcano, propterea quod multa sibi scriptitant amicali, quæ nolint efferi in vulgus. Fragmentum ad te mitto, quo plane intelligat Martinus noster, quam non sit tutum literis omnia credere, cum nihil satis oclusum sit furacibus istis; neque enim adduci possum, ut credam Luterum hæc scire voluisse Erasmus, cum non ignoret, quam sit irritabili stomacho nec quicquam velit detrahi suæ authoritati; non quod existimem Luterum timere hunc Herculem, cum eruditione sit longe superior, sed quod sciam pro suo candore illum irritare nolle, qui tamen irritaretur, ubi ista legisset. Vale, mi dulcissime frater. Plura scribere prohibent articuli pariter et fragmentum, quibus epistolæ brevitatem compensatam volo. Martino simul atque Philippo fac me diligentissime commendes; nihil non debeo Philippo, atque utinam insigni quopiam argumento meam illi fidem probare possem! Nihil plus cupiam quam illius mereri literas. Sed dices: „Quin tu illum salutas prior?“ At istac ratione duplici nomine in publica commoda peccavero, si et legendis meis et scribendis suis illum fuero remoratus; nec enim ignoro, quam sit occupatus supra corpusculi vires Philippus. Sed scribam tamen proxime. Legimus Luteri libellum in episcopos<sup>3)</sup>; at isti forte non legent, ne suam miseriam misereri cogantur. Anthonius<sup>4)</sup> apud Predicatores (ut vocant) suæ timet cuticulæ nec plenis buccis Christi

<sup>1)</sup> Ein Heinrich Ehinger von Konstanz, gest. 1535, wird bei Kindler von Knobloch, a. a. O., S. 287 genannt.

<sup>2)</sup> Eine Kopie dieses Bruchstückes von Ambrosius Blaurers Hand findet sich in der Vadianischen Briefsammlung, Bd. XII, 308. Es handelt sich um den Brief Luthers an den Rektor der Thomasschule in Leipzig, Kaspar Borner, vom 28. Mai 1522, über den Köstlin, a. a. O., S. 655 zu vergleichen ist.

<sup>3)</sup> „Wider den falsch genannten geistlichen Stand des Papstes und der Bischöfe“, 1522 erschienen, s. Köstlin, a. a. O. I, S. 517.

<sup>4)</sup> Antonius Guldenmünster, genannt Pirata, aus Hermannstadt, Prediger im Predigerkloster zu Konstanz, Vicar des Ordensprovinzials, vgl. Vierordt (Schreibers Taschenbuch 1841), S. 40 ff. und Pressel, Ambr. Blaurer, S. 53 f.

evangelium docet male audiens, quod utroque claudicet pede et ambabus sellis sedere conetur<sup>1)</sup>. Ex Constantia nostra VIII. eidus Augusti anno XXII.

Frater Ambrosius Blaurerus.

Habes epistolam plusquam tumultuariam. Was sichts? was sichst? Ain klotzeten, dollen brieff.

#### 44. Ambrosius Blaurer an Philipp Melanchthon<sup>2)</sup>.

Konstanz 1522 August 6.

[Er bittet um Rat, was er, aus dem Kloster ausgetreten, tun solle. Empfehlung an Luther.]

Si unquam alias, eruditissime Philippe, nunc certe maxime ad te mihi scribendum erat, quando graves casus et iniquissima rerum conditio me sane quam crudeliter excarnificant. Cœnobium certe non adeo pridem<sup>3)</sup> egressus male nunc audio, quod scandalorum caussas non satis abstulerim, unde etiam regrediendum mihi arbitratur nonnulli; at ego mori citius velim quam in ista impietatis nassa diutius defineri, quandoquidem nullo monachorum bono et maximo meo malo id facerem. Porro charissimus meus frater de rebus meis omnibus deque hac præcipue caussa te faciet certiore. Te vero per deum optimum maximum, et per quicquid flecti potes, obtestor, ut tuam mihi sententiam indices, quidque mihi potissimum faciendum existimes, ad me diligenter perscribas. Erit mihi consilium tuum oraculi loco, quippe qui sciam te spiritum Christi habere nec quicquam posse consulere, quod ab illius placitis dissideat. Vale, ornatissime Philippe, plura non possum scribere, sed nec tu legere publicis commodis destinatus. Quid apud nos agatur, ecquid promoveamus in evangelico negotio, Thomas noster explicabit. Ex Constantia VIII. idus Augusti MDXXII.

Ambrosius Blaurerus, tuissimus ab animo.

Summo patri nostro, qui rursus nos parturit, donec Christum in nobis formet<sup>4)</sup>, abs te votis omnibus commendari cupio. Nolui importunus videri interpellator; alioqui scripturus eram viro modis omnibus occupatissimo.

<sup>1)</sup> Hiezu die Randbemerkung: „Bruder vigitselig“ (feindselig), vgl. Pressel a. a. O.

<sup>2)</sup> Gedruckt bei Keim, Schwäb. Reformationsgesch., S. 285 und Bindseil, a. a. O., Seite 13.

<sup>3)</sup> Am 8. Juli, vgl. Nr. 41 f.

<sup>4)</sup> Hiezu die Randnote: „Luthero.“